



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Fulco Episc. 26. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

26. Octob. VITÆ SANCTORUM. 673  
saucium sensit. Itaque in Nestorem gla-  
dio, in Demetrium lanceis fævit; sed non  
ita, quin post mortem in ore omnium vi-  
veret. Nam chlamys Martyris sanguine  
tincta ægros contra omnes morbos ar-  
mavit, & Lopus Demetrii servulus cùm  
anulum suum cruento domini, hoc est,  
gemmâ ornasset, compluribus deinde sa-  
nitatem eo impertiit, dum vitam pulchrâ  
pro Christo morte etiam ipse obsignavit.  
*Ex Surio.*

Habes arma, ô homo quibus adversus ho-  
stes tuos utaris, quæ si ad salutem tibi data  
spreveris, vixtus in die Iudicii quomodo te  
excuses, non habebis. si adversus te corporis  
cupiditatem dæmon incitârit, temperan-  
tiâ thoracem induito; si te lasciviae sagittis  
petierit, sume galeam castitatis. S. Ephrem  
de Ling. morb.

S. FULCO EPISC. 26. Octobris.

Qui pauperes esse Musas indignantur,  
exemplum patientiæ licet à Fulco-  
ne mendicent. Hic extremâ rerum om-  
nium inopiâ pressus, non tamen ideâ  
minùs literas coluit, dudum ab his ip-  
sis edoctus somnia doctiora non pos-  
merum, sed aquas in Helicone potas ob-  
repere. Quare non invitus à magistro  
doctrinam, ab aliis vixtum vestitumque  
precario accepit. Et fortè fortuna di-  
tiores ædes pulsavit, cùm ancillula stipem

Vu

pet

674 VITÆ SANCTORUM. 26.08.2b.  
per jocum ea lege porrexit, ut ne insulam  
umquam acceptaret. Enimvero jam jam  
prehensurus panem, F u i c o manum il-  
licò retraxit, indignum repurans tam par-  
vo lucello tam magnas spes vendere. Et  
placuit generosus hic animus usque adeò  
xodium domino, ut vietum deinceps ce-  
teraque vitæ præsidia omnia Fulconis li-  
beraliter suppeditaret. Itaque positâ mo-  
lestâ paupertatis sarcinâ, cùm liberius  
jam studiorum studia decurreret, inter  
Canonicos, quos vocant Regulares, ad-  
numeratus, missusque Lutetiam Parisio-  
rum, Doctoris primo titulis ornatur, mox  
Placentiæ ad Euphemiæ reliquis præpo-  
nitur, inde Archipresbyter, inde Episco-  
pus Placentinus, denique Papiensis etiam  
denuntiatur: & jam illa olim omnibus  
supplex manus anulo vestitur, caput om-  
nibus apertum mitra regitur, doctaque  
ægestas purpurâ involvitur. Sed tamea  
memor fortunæ veteris, dum vixit, qui-  
nos semper mensæ pauperes adhibuit, to-  
tiderique cum magistro suo Musarum  
clientes, & septem egentes viros nobiles  
aluit. Atque hi fecere, ut licet virgo Ful-  
co, pater tamen obiret. Ex Ferrar.

Erige animum: Tribulatio vires non op-  
primat, adversa facili patientia superet:  
pompam mundi secura mens despiciat: actio  
 tua ad ea, quæ Dei sunt, se occupet: con-  
sidera quam nihil sit, quidquid fine conclu-  
distur. S. Greg. Registr. l. II. c. 23.

S. ELE-